næ. E. Minor, uti in antecedentibus, eſt in textu. Majorem probat 1. ipſe D. Paulus Gal. III. 15. In hominis Teſtamento nemo aliquid detrahit aut addit, cùm jam eſt confirmatum. Quomodo autem detractio ſeu additio fit, niſi per ſiniſtram interpretationem, cùm ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ diſcedituꝛ? 2. prob. ex ipſo jure Imper. de Teſt. Imperator inquit, *verba Teſtamenti diligenter eſſe conſideranda*, & alibi rationem reddit: *Ne, dum nimia utimur circa hujusmodi ſenſus ſubtilitate, judicia teſtantium defraudentur.* conf. Reſpon. l. Ille aut ille. 25. ff. de Legatis 3. *Cùm in verbis nulla ambiguitas eſt, non debet admitti voluntatis queſtio.* l. Non aliter. 69. ff. de legatis & fidei commiſſis 3. *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe Teſtatorem.* 3. prob. ex Teſtamenti qualitate. Neque enim Teſtator ideo condit Teſtamentum, ut hæredibus μεῖζον ἔριδος objiciat; potiùs ut lites & diſceptationes præcaveat & tollat. Neque præſumere debemus aliud voluiſſe, quàm verbis expreſſit. Quicquid enim ſolenniter ſub forma Teſtamenti alicubi propoꝛnitur, ejus verba ſimpliciter & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda ſunt. 4. prob. à Teſtatoris gravitate deſumo: qui eſt Omnipotentis DEI Filius, ipſa veritas Joh. XIV. 6. qui ſeriò minatur: *Si quis diminuerit de his verbis, auferet DEUS partem ejus de libro vitæ & de Civitate Sancta.* Apoc. XXII. 19. unus Magiſter noſter. Matth. XXIII. 8. quem ipſe Pater audiendum cælitùs juſſit. Luc. IX. 36. Denique quintò prob. à Teſtium veracitate, quam ſanguine ſuo defenderunt ac comprobârunt. Quibus adhuc addo: Si Protoplaſti noſtri τὸ ῥητὸν verbi Divini ſtrictè obſervâſſent, quomodo nos ſapere debeamus, non ipſorum & noſtro maximo damno edocuiſſent. Gen. III. 1. & ſeqq.

(δ.) 1. Cor. XI. 23. Ἐγὼ (Paulus, vocatus Apoſtolus J. C. per voluntatem DEI 1. Cor. I. 1. οἰκόνομ@ Μυστηρίων Θεοῦ. cap. IV. 1. Spiritum DEI habens cap. VII. 40.) χάρ

(Con-